



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Septima Visitatio. Acuunt desiderium Christo pro me passo ac mortuo
æternum fruendi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

latronum pendens continuò genuinæ humilitatis exercitium mihi instillabis. Amantissimum cor tuum adeo angustiatur & afflictum, cui me totum immergo, instigabit me jugiter, ut ad te unicum finem summum bonum meum faciam ascensiones in corde meo, viva fides in eo magis semper augeatur, spes quatenus desiderium & animi erectio semper magis confortetur, contritio ferventiores de peccatis præteritis fundat lacrymas, caritas perfecta magis magisque accendatur, & zelus animarum tuo pretiosissimo sanguine redemptarum ita me totum conformiter vocationi meæ intimaque fibras pervadat. Ut nulla difficultas in agendo & patiando me absterreat, ubi animam è Diaboli faucibus eripere, tuisque velut supremi Pastoris humeris ovem perditam imponere poterò.

Septima Visitatio.

Acquirit desiderium Christo pro me passo ac mortuo æternum fruendi.

O Domine JESU adoro te hìc in S. Hostia præsentem. Incredibili autem ætuo desiderio te pro me mortuo & tanta passo in æternum fruendi. Adoro benedictum caput, oculos ac os tuum, & infinitis osculis id in æternum dissuaviare desidero. Adoro sacros pedes tuos, & ubi eos in cælis fixeris, vestigia exoculari, & ad pedes tuos dulcissima verba tua in æternum cum Magdalena audire desidero. Adoro sacras manus & benedictam carnem tuam, teque amplexibus stringere, & à te stringi in æter-

æternum desidero. Adoro sacrum latus tuum,
& per hoc in cor tuum intro hâc nocte, totâ vi-
tâ meâ usque ad mortem in eo morabor, &
tabernaculum pro tota æternitate mihi in eo fa-
ciam.

P R A X I S T E R T I A.

*Septem verba Christi in Cruce & congruentes illis
affectus ac petitiones.*

In prima Visitatione.

ADoro te mi Deus in V. Sacramento, & quia
hoc instituisti in continuam passionis ac
mortis tuæ memoriam, ego die hoc septies te
adoraturus in loco hoc devotâ mente recolam
septem à te in Cruce prolata verba. Dum expri-
mo: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid fa-
ciunt.* Luc. 23. Haurio modò confidentiam &
amorem erga te nec die hoc, nec ullo usque ad
mortem extinguendam. O mi JESU cum clamore
valido & lacrymis merita tua offerens exauditus
es pro tua reverentia ad Hebr. 5. *Pater* (ini-
tium orationis dulcissimum, Itâ & te compello
in lucis hujus exordio) *dimitte* (propositio
amabilissima) *non enim sciunt quid faciunt.*
Ratio dimittendi respectu nostræ infirmitatis &
infiniæ divinæ bonitatis efficacissima. O mi
JESU amo te, confido in te plenè, quia sic pro
me peccatis meis te denuò crucifigente apud Pa-
trem tuum divinamque justitiam perorâsti sæ-
piùs.